



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput IV. Disputatur de Jure naturæ primario, & primo quæritur quid sit,
an sit, & quibus præceptis constet lex naturalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

è Scholasticis, qui reponunt his quoque creaturis intimari legem per formam eis inditam, per quam Creatorem suum quodammodo sentiunt, & illi obtemperant. Cætera deprompta ex rebus adversis, quibus probi viri plerumque jactantur, ex infortuniis, ostentis, even-

tibusque fortuitis, quæ non videntur à Divina lege ordinati, quoniam opponi solent ab incredulis adversus Divini Numinis existentiam, atque providentissimam universitatis administrationem, in prima horum librorum Parte fuerunt discussa.

CAPUT IV.

Disputatur de Jure naturæ primario, & primo quæritur quid sit, an sit, & quibus præceptis constet lex naturalis?

SUMMARIUM.

1. De lege naturali Propositio 1.
2. Explanatio Definitionis.
3. & 4. Explanatio ulterior.
5. Propositio 2. Probatur existere legem naturalem.
6. Argumentum singulare legis naturalis, est conscientia.

7. & 8. Propositio 3. Probatur.
9. Dilectio Dei & proximi nituntur prænotionibus lumine naturæ notis.
10. Plures virtutes sunt lege naturali non præscriptæ.

De lege naturali.

PROXIME sequitur, ut pertractet dissertatio nostra de naturali lege spectante ad constitutionem rationabilium; cujus naturam valde affinem esse legi æternæ, & unam nihil aliud esse, quam alterius transcriptionem, ex priori capite, atque ex subjectis thesibus comprobatur.

Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque

Et genus equorum, pecudes, pictaque volucres

In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.

Quæ tamen cum analogia dicta esse, supra præmonui.

1. PROPOSITIO I. Lex naturalis est ipsius æternæ legis in mente hominum per participationem incommutabilis rationis Divinæ facta transcriptio.

2. Explanatio definitionis.

Hæc definitio traditur ab Augustino lib. 83. QQ. q. 53. eamque brevi explanabo. Dicitur *transcriptio æternæ legis*; quoniam nullam vim habere potest creata natura, quæ ipsi ab auctore sempiternæ legis non imprimatur. Atque secundum hæc priora verba legem naturalem etiam bruta animalia & creaturæ omnes sibi habent insertam. Hinc Plutarchus in Camillo: *Lex (inquit) est natura, cujus & bestia sunt participes*. Libanius Declam. 44. *Reverentur & feræ naturam*. Et quidem bruta amoris alicujus, & æquitatis legem tenere commonstrat Demosthenes in Olynthiacis ex cultu parentum etiam bestiis naturaliter indito: & Cicero in Tusculanis ex cura, quæ feræ pro suis partibus ita rostro, & ungue pugnant, ut vulnera excipiant, nullosque impetus reformident. Animadvertit in his Casiodorus etiam ingeneratum desiderium adulteria vindicandi. De hac lege cecinit Maro in Georgicis:

In consequentibus verbis exponitur lex naturæ, ut obstringit homines ratione præditos: quos à Deo lumen rationis, & recte operandi regulam participare, nemo, nisi ratione destitutus sit, in dubium vertit. Nam, ut Augustinus scribit serm. 2. de Verbis Domini: *Quis legem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* Sitam vero naturalem legem in participatione rationis, & interiori quadam intimatione, quæ ut verbis utar Damasceni lib. 4. de Fide cap. 23. conscientiam nostram pertrahit & vellicat, scribit eleganter Marcus Tullius in 1. de Legibus his verbis: *Eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata & confecta, lex est*. Ita Maximus Martyr Tom. 5. Bibl. PP. ait: *Lex naturæ est ratio naturalis, quæ captivum tenet sensum ad delendam vim irrationalem*. Similia docent Ambrosius Epistola 70. & D. Thomas 1. 2. q. 94. art. 1. & seqq.

Apposite autem additum est hanc rationem Divinam à creatura participatam esse *incommutabilem*, cum eadem sit in omnibus, exhibeatque unam summam, & intimam regulam honestatis in singulis hominibus, quantumvis aut educatione, aut locorum, temporum, & morum distantia discrepent ab invicem.

De

De qua re satis differui præcedenti libro xviii. cap. 3. Quod si quis petat, quomodo fieri potest, ut eadem ratio Divina una, summa & incommutabilis sit participata ab omnibus rationalibus creaturis, & tamen singularum mens creata sit, finita, & mutabilis; respondemus cum Augustino lib. 14. de Trinit. cap. 15. rationem illam Divinam, & legem incommutabilem transferri in cor hominis non migrando, sed tanquam imprimendo: sicut imago ex annulo & in ceram transit, & annulum non relinquit. Mutabilis est ergo omnis homo substantia sua, sed habet spiritum immortalem, cui tanta indita est vis, ut possit se convertere ad lumen indefectibile veritatis, & ad regulam æquitatis summam & immutabilem: quorum primum est lux intima veritatis, quam ex Augustino non uno in loco explicavimus, alterum lex æterna; utrumque autem ipse Deus.

5. PROPOSITIO II. Existit lex naturalis nuper delineata.

Probatur
existere legem naturalem.

Demonstratur thesis apertissimis verbis Apostoli scribentis ad Romanos cap. 11. v. 14. & 15. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Plura huc spectantia collegit Cassianus Collat. 8. cap. 23. & Alardus Gazæus in Commentariis. Hujusmodi sunt, Abelen naturali instinctu nondum legescripta mandante didicisse Deo sacrificium de primitivis ovium esse offerendum: Noemum munda animantia discrevisse ab immundis nondum hæc legali distinguente mandato: Henochum ambulasse coram Domino nullam legis præscriptionem ab aliquo consecutum: ex lege naturæ didicisse Sem & Japhet non revelandam turpitudinem patris sui: Abrahamum ea lege ductum Sacerdoti decimas obtulisse, Loth excepisse humaniter hospites ac peregrinos, Jobum pertulisse hujus vitæ incommoda mirabili mansuetudine. Hæc tamen, & similia memineris accipienda esse per exclusionem legis scriptæ, non autem Divinæ gratiæ: de qua Cassianus non recte omnino. Huc etiam spectant quæ præcedenti propositione dicta sunt. Neque enim arbitror plura esse dicenda de veritate, quam ratio ipsa suadet. Legis quippe naturalis existentiam demonstrat ingentis appetitus virtutis, quæ cum

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

debitum in finem tendat, æternæ legis participatione dirigatur: demonstrat fugam, & ingenerata abominatio vitiorum: demonstrat denique perpetuus conscientiæ stimulus, quem naturalem legem appellat Hieronymus in Epist. ad Algasiam: quamquam conscientia & synderesis versentur circa ea quæ hic & nunc facta aut facienda sunt singulatim, & lex circa commune bonum universaliter. Sed quia ab hac lege iniquus deflectit; ideo male sibi conscius depascit synderesis, latens in pectore fractæ legis testimonium: atque ut Juvenalis egregie loquitur,

*Quos divi conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verberare cedit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

Est igitur naturalis, & uniuscujusque cordi inscriptæ legis argumentum singulare ipsa conscientia hominum universorum. Atque ex his constat legem naturalem in omnibus esse unam, singulisque præscribere amorem virtutis & vitiorum abominationem: etsi fuerint, ac sunt plerique, qui à recta ratione animi avertentes, inhonesta præferunt honestis; quoniam fere belluinis moribus obbrutuerunt, aut vitiatis fermento cupiditatum, si quid propinas dulciculæ potionis, protinus amare fecit. Hinc etiam colligere possumus, cur præcepta legis naturæ fuerint literis innovata: quod sane factum est, propterea quod ob vetustam vitiorum consuetudinem, idololatriam, noxiasque cupiditates cœperat eadem lex desuescere. *Quare etiam scripto tradita est, ut pravaricatores cernerent in Tabulis quod in cordibus non legebant;* ait in Psalmum 57. Doctorum Aquila.

PROPOSITIO III. Præcepta legis naturæ omnia reducuntur ad duo, ad dilectionem Dei, & proximi.

Arbitror thesım hanc nulla indigere probatione ob apertissimam Christi sententiam Matth. xxi. 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Sane cum lex naturalis sit participatio legis æternæ, hæc vero omnia in finem suum dirigat; necesse est, ut in creatura rationali, quæ diligendo in proprium finem tendit, lex naturæ amandi præceptis coalescat. Cum ergo, ut Augustinus scribit in primo de Doctrina Christiana cap. 23. quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est, &

B 2

6. Argumentum singulare legis naturalis est conscientia.

7. Propositio 3.

8. Probatur.

de

de secundo & quarto nulla præcepta danda fuerint; sequitur in duobus spectantibus ad Deum qui est supra nos, & proximum qui iuxta nos est, universam naturæ legem pendere. Diligendi quippe semetipsum supervacaneum est homini intimare mandatum: primo quia, Auctore Apostolo ad Eph. 5. 29. *nemo unquam carnem suam odio habuit*, ita ut ii quoque, quid dicunt malle se omnino esse sine corpore, non corpus suum, sed corruptionem ejus & gravamen odio habeant: & qui illud continentia, & laborioso opere exercent, non id agant, ne corpore careant omnino, sed ne carnali concupiscentiâ superbiens animum deprimat, & inlicitâ lege peccati captivet. Deinde quantumlibet homo excidat à veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui: in qua modum tenere debet, ne placeat sibi tumore superbiæ; nec opus est ut ad hoc addantur præcepto amoris incitamenta. Quod pariter de rebus infra nos positis, cum insit animo pœnalis cupiditas, & inclinatio ad fruendum inferioribus, æquum est cogitare. In his ergo, quæ ad dilectionem sui, bonorumque temporalium pertinere videntur, non est opportunum statuere amandi præceptum, sed amorem se à bono incommutabili avertentem cohibendi potius & refronandi. Atque id præstant præcepta, quæ dicimus *negativa*, numerum duobus recensitis minime superaddentia, quoniam prohibent duntaxat amoris vitia, depravatam inclinationem, & consequentia opera peccatorum. Postremo dilectio sui, rerumque omnium, quatenus licita est, præscribitur his duobus præceptis. Cum enim jubemur amare Deum super omnia, monemur etiam amare propter Deum, quicquid amamus; quod in Augustiniana Theologia est inhærere tantum bono incommutabili utendo commutabilibus. Quare bona quæque creata ita in usum sunt assumenda, ut quicquid diligendum cadat in animum, non constringat impetum dilectionis, sed hæc in summum bonum, ut rivulus ad fontem plenissimum, magis tendat. Ac similiter cum dictum est, *Diliges proximum, sicut te ipsum*, tui abs te dilectio prætermissa non est. Dilectio autem proximi erat speciali mandato præcipienda, ne homo sibi placens aliis appeteret dominari, & tanquam sibi debitum vindicaret honorem exhibendum Auctori suo. Atque proximum diligendum ab homine tanquam se ipsum satis apparet, quod & ipse in eundem finem tendat, eandemque præferat imaginem Creatoris.

Quamobrem si recte proximum diligimus, hoc cum illo agendum est, ut etiam ipse diligat Deum super omnia. Hanc tibi ex Augustino naturalem legem figuro: atque ex hac forma perspicias optime, illam præcepto duplicis dilectionis comprehendere.

Nituntur hæc duo præcepta prænotionibus naturæ lumine notis. Quarum prima est, *Diligendum esse bonum, malum autem fugiendum*; altera, quæ ex ista consequitur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Prima omnem Dei dilectionem dirigit, facta inter bonum & bonum comparatione. Facile est enim percipere summum bonum esse solum Deum qui summe est; cætera ab hoc uno bonitatem & essentiam habere; & quod bonitate careant, hoc malum esse. Igitur summum bonum causâ sui ipsius, reliqua summi boni causâ erunt diligenda. Quoniam vero summum bonum est summum esse, id est, summa veritas, summa æquitas, summa honestas: cum malum sit privatio boni; fugiendum erit mendacium, iniquitas, & turpitudine, & quicquid habet veritatis, æquitatis, & honestatis defectum. Atque ex his arbitror te satis intelligere, quomodo omnis virtus in genere accepta à lege naturali proficiatur, & omne vitium ipsi legi naturali adversetur. Virtus enim in electione boni, vitium in boni deficientia dignoscitur. Et quoniam facta bonorum omnium distinctione deprehendis proximum habere tecum eandem cum summo bono connexionem; confurgit præscriptio aliarationis, ne quod tibi non vis, facias alteri: atque inde promanant præscripta reliqua ad servandam concordiam & publicam tranquillitatem summo opere necessaria. Hæc vero demonstrant, quænam sit summa naturalis legis descriptio, & norma rationis: quam Scholastici principium, & *dictamen* appellavere.

Dictum est autem spectare ad legem naturalem omnes virtutes in genere: Plures virtutes sunt lege naturali non præscriptæ, ut vota à religiosis emissa, & virtutes Theologicæ fidei, spei, & charitatis. Alioquin dicendum foret omnes qui Evangelii consilia non servant esse legis naturæ fractores, & naturalem esse fidem & justificationis exordium. Itaque hæc quoque virtutes generatim consideratæ ad legem naturalem pertinent, quatenus conforme est naturali rationi, ut si prima veritas ali-quod manifestet, cum mentiri non possit, fidem certissimam illi præstes:

9.
Dilectio Dei & proximi nituntur prænotionibus lumine naturæ notis.

10.
Plures virtutes sunt lege naturali non præscriptæ.

fi

ſi promiſſum facit, confidas: ſi ſpiritum dilectionis ſubminiſtrat, caſte diligas; & ſi dederit eligendi optionem, id quod lubet haud immemor acceptæ libertatis perficias: quod denique ſponte iuraveris, ſtudeas reddere. Atque hæc ad legem naturalem ſpectare tam certum eſt, quam ſummum illud bonum diligendum eſſe ſuper omnia: nam niſi credideris, errorem tuum præfers veritati, & niſi impleveris iuramenta, ſummam maieſtatem graviffima afficis injuria. Quatenus autem eligis vivere juxta conſilia Evangelica; duceriſ non communi univerſorum hominum ſenſu, ſed proprio & ſingulari: quippe animadvertens tui, rerumque tuarum circumſtantias, arbitraris melius tibi fore, ut

ſummum illud bonum aſſequaris, negotiis ſecularibus nuncium mittere: cum aliis videatur utilius uxorem ducere, familiam alere, & nubere potius, quam uri. Ergo conſilia Evangelica ſunt hoc pacto optionis tuæ ac poteſtatis, non præſcriptionis rationisque communis. Atque ideo conſilia dicta ſunt, quod non ſingulos adſtringant, ſed propoſita ſint quid magis expediat conſultantibus. Fides denique, Spes, & Charitas ſupernaturales dicuntur, in quantum poſtulant Divinæ gratiæ adiutorium, ordinemque naturæ ſupergrediuntur, ſive conſiderata naturali arbitrii poteſtate, ſive ſubſtantia & magnitudine rerum non apparentium.

CAPUT V.

Quæritur an lex naturalis poſſit immutari, habeatque in ipſa locum *Επιχειρημα*.

SUMMARIUM.

1. Immutatio legis fit abrogatione, ſubtractione, & diſpenſatione.
2. Notandum circa diſpenſationem.
3. Propoſitio 1. probatur.
4. Propoſitio 2. probatur.
5. & 6. Oppoſitiones ſolvuntur.

7. Propoſitio 3^{ia} probatur.
8. Uſque 16. Solvuntur obſectiones.
16. Explanatio præcepti de Sacrificando Sabbatho.
17. 18. 19. & 20. Solvuntur obſectiones.
21. Quid *Επιχειρημα*.

1. Immutatio legis fit abrogatione, ſubtractione, & diſpenſatione.

TRIBUS modis contingit legem aliquam immutari, abrogatione, ſubtractione, atque diſpenſatione. Abrogatio eſt legis, quoad præcepta & vim obligandi diſſolutio: ſubtractio eſt præceptorum legis immutatio quædam, & coarctatio: diſpenſatio denique eſt à lege, quæ integra permanet, aliquorum exemptio. His accedit *Επιχειρημα*, quæ juxta ſignificationem Græci vocabuli ſignificat *aquitatem*: ſed recepta ſermonis conſuetudine, nihil eſt aliud, quam legis interpretatio, aut declaratio. Preſſe etiam ac ſtricte accipitur *Επιχειρημα* pro tali declaratione, qua judicium fertur, legem pro omnibus latam, aut quæ poſſet pro legiſlatoris lubitu omnes obſtringere, in peculiari aliquo caſu deficere, ut quando interpretamur ad quosdam ægrotos præceptum non pertinere jejunii.

2. Notandum circa diſpenſationem

Circa autem diſpenſationem obſervandum eſt, propriam tunc eſſe, cum materia legis, ſive id, circa quod lex verſatur, idem perſeverat; ita ut lex deſinet obligare eò duntaxat, quod ſit in poteſtate legiſlatoris auferre vim obligandi. Atque hoc pacto diſpenſari dicitur Religioſus à Choro, civis à ſolven-

dis vectigalibus, gregarius miles ab agendis excubiis, cum peculiari Superioris, Principis, & Imperatoris beneficio à communi, qua tenerentur, lege ſervanda excipiuntur. Interdum tamen contingit, ut in his actibus, qui jure naturæ conſtituuntur, quædam diſpenſationis ac mutationis imago fallat incautos, quando ſcilicet, non ipſius legis præſcripta immutantur, ſed ipſa res, circa quam jus naturæ verſatur, recipit mutationem. Sit in exemplo: ſi Deus quemdam occidi præcipiat, aut rem alienam auferri, non ideo licitum fit homicidium & furtum, nec diſpenſatur in lege, *Non occides, non furaberis*; ſed auferitur horum præceptorum materies, ſive actus prohibitus his præceptis, non enim homicidii aut furti ſcelus eſt, quod perficitur auctoritate ac præſcripto Domini vitæ, & rerum omnium ſupremi. Similiter dum creditor in acceptum refert, non tenetur debitor ſolvere, non quod jus ſolvendi debitum diſpenſetur, ſed quoniam deſiit pecunia, quæ debebatur, deberi. Atque hæc diſpenſatio orta ex circumſtantiis & mutatione rerum, improprie, & ſermonis analogiâ, ut liquet, dicitur diſpenſatio. De hac vero diſpenſationis imagine, arbitrari

B 3

loqui